

**Statuta solennia de doctoratus in medicina gradu in Academia
Edinburgena capessendo, in posterum jubente Senatu Academico,
observanda.**

Contributors

University of Edinburgh. Faculty of Medicine
Senatu Academico.

Publication/Creation

Edinburgh : Neill, [1828]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aujhkezz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. F. Fq. S.

STATUTA SOLENNIA

DE

DOCTORATUS IN MEDICINA GRADU

IN ACADEMIA EDINBURGENA,

CAPESSENDO,

IN POSTERUM

JUBENTE SENATU ACADEMICO,

OBSERVANDA.

I.

NEMO ad DOCTORATUS in MEDICINA GRADUM promoveatur, priusquam QUADRIENNIUM, in Academia Edinburgena, aut in alia Academia, ubi alumni ad Summos in Medicina Honores promoveri soliti sunt, per Sex saltem Menses quotannis, Medicinæ studio impenderit ; nisi

1. Qui jam evectus fuerit ad Gradum Magistri Artium, in Academia quavis Scotica, vel ad parem Gradum in alia Academia, opera quadriennium Li-



teris et Artibus prius dedita, quam ad Medicinæ studium se contulerit.

2. Qui, præter studia sua medica in Academiis, —alio insuper anno,—Nosocomium quoddam publicum, ubi ægri octoginta vel plures decumbere solent, per sex saltem menses frequentaverit,—et curationi a Medicis vel Chirurgis ibi institutæ adfuerit;

3. Qui per spatium unius saltem anni in re medica Exercitus vel Classis Britannicæ, vel Societatis mercaturas in India Orientali facientium, occupatus fuerit.

Illi autem qui quamlibet ex his conditionibus absolverit, Gradum Doctoratus consequi liceat, postquam TRIENNIUM in hac aut alia Academia supra definita, Medicinæ studio se dederit.

II.

Nemo Exercitationes ad Gradum Doctoratus capessendum subeat, qui non testimoniis idoneis ostendat,

Primo, Sequentibus quas Scientia Medica complectitur Disciplinis, sub Medicinæ Professoribus in hac aut alia Academia supra definita, semel vel sæpius se operam dedisse, scilicet,

ANATOMIÆ ET CHIRURGIAE, .	}	Per curricula Sex Mensium ;
CHEMIÆ,		
MATERIÆ MEDICÆ ET PHAR- MACEUTICÆ,		
MEDICINÆ THEORETICÆ, . .		
MEDICINÆ PRACTICÆ, . . .		
REI OBSTETRICÆ, ET MORBIS FÆMINIS INFANTIBUSQUE PROPRIIS,		
MEDICINÆ CLINICÆ, scilicet Cu- rationi ægrorum in NOSOCOMIO PUBLICO decumbentium, a Medici- næ Professore institutæ, et Prælec- tionibus habitis de iisdem ægris,	}	Per curriculum Sex Mensium, vel per duo cur- ricula Trium Mensium ;
BOTANICÆ,		
	{	Per curriculum Trium Men- sium.

Secundo, Duabus saltem ex sequentibus etiam Disciplinis (a seipso, prout sibi maxime conveniant, eligendis) in hac aut alia Academia supra definita se operam dedisse, scilicet,

ANATOMIÆ PRACTICÆ, . .	}	Per curriculum Trium saltem Mensium *.
HISTORIÆ NATURALI, . . .		
MEDICINÆ LEGALI,		
CHIRURGIAE CLINICÆ, . . .		
CHIRURGIAE MILITARI, . . .		

* Medicinæ autem Clinicæ, et Chirurgiæ Clinicæ, uno eodemque tempore operam dare non licebit.

Tertio, Singulis annis Academicis duabus saltem ex Disciplinis supradictis, quæ curriculis semestribus peraguntur, vel uni ex illis, et duabus ex supradictis trimestribus, se operam dedisse.

Quarto, Præter curriculum Medicinæ Clinicæ jam præscriptum,—alio insuper anno,—per sex saltem menses, Nosocomium quoddam publicum hic aut alibi se frequentasse, ubi octoginta ægri decumbere solent, et curationi a Medicis vel Chirurgis ibi institutæ adfuisse.

III.

Nemo GRADUM DOCTORATUS consequatur, qui non, unum saltem annum, in Academia Edinburgena, modo jam præscripto, Medicinæ studio impenderit.

IV.

Quicumque honores Medicinæ ambierit, ante diem XXIV^{UM} Martii, de consilio suo Facultatis Medicæ Decanum certiore faciat, et illi tradat,

1. Autographum his verbis, “ Ego ———
 “ gradum Doctoratus in Medicina ambiens, serio et
 “ sancte Medicinæ Professoribus et Almæ Acade-
 “ miæ Edinburgenæ assevero, et hoc scripto meo tes-
 “ tatum cupio, me unum et vigesimum Ætatis An-
 “ num jam complevisse (vel, si ita res se habuerit,
 “ ante diem proximum solennem esse completurum),

“ et me esse liberum, scilicet nullius Chirurgi, aut
 “ Pharmacopolæ, aut alius cujusvis artificii Magistri
 “ servitio addictum, ut discipulum, vel Tironem, vel
 “ Ministrum, qualis Anglice dicitur *an Appren-*
 “ *tice* ;”

2. Descriptionem Studiorum suorum, tum in
 Literis et Artibus, tum etiam in Medicina, atque
 de his testimonia ;

3. Dissertationem Medicam Inauguralem, a se-
 ipso lingua Latina compositam, ut Professor aliquis,
 a Decano designandus, eam perlegat, et perlectæ
 scriptam suam testificationem apponat.

V.

Ante quam tentamini de re medica subjiciatur
 Candidatus, Facultati Medicæ conventu speciali et
 privato ostendat, se lingua Latina jam satis esse doc-
 tum ; quod si non ita sit, exercitationes, pro Gradu
 Doctoratus, hac lingua præcipue peragendæ, non ha-
 beantur. Sin autem Professoribus de hac re satis-
 faciat, tunc Quæstio vel viva voce vel scripto, statim
 habenda est, de variis quas Scientia Medica com-
 plectitur disciplinis.

VI.

Si quis, hac quæstione privatim habita, Candi-
 datorum numero retineri dignus non existimabitur,

duabus saltem ex supradictis (Sect. II.) disciplinis, sub Medicinæ Professoribus in hac aut alia Academia supra definita, per alium insuper annum operam det, antequam exercitationes iterum subeat.

VII.

Si Candidatus, quæstione privatim habita, promoveri merebitur, illi statim tradantur **DUÆ MORBORUM HISTORIÆ**, cum **QUÆSTIONIBUS SUBJUNCTIS**, ut commentis lingua Latina scriptis, illas illustret, his commoda responsa reddat; tum **Historias** ita illustratas, una cum **Responsis** suis, post decem dies **Professoribus** proponentibus tradat, atque eadem, die **VI^{to} Julii**, coram **Facultate Medica** defendat.

VIII.

Candidato, si post primum periculum factum, probatus fuerit, **Dissertationem** suam **Inauguralem** prelo subicere liceat, nec tamen imperetur: **Dissertationis** cujusque excusæ **quadraginta exemplaria** **Facultatis Medicæ Decano**, die **VI^{to} Julii**, tradantur.

IX.

Si Candidatus iterum a **Medicinæ Facultate** fuerit probatus, ejusdem **Facultatis Decanus** quæ gesta fuerint **SENATUI ACADEMICO** renunciabit;

cujus approbatione et auctoritate Candidatus Dissertationem suam in Comitiiis Academicis, die XI^{mo} Julii, lingua Latina, defendere jubeatur: Tum, si Senatui placuerit, laboris et studiorum præmium, summos in Medicina Honores, GRADUM nempe DOCTORATUS, more solenni, die XII^{mo} Julii consequatur.

X

Facultas Medica semper intra Academiae Pomeria, Hora Decima ante meridiem, diebus supradictis, conveniet. Et si quis Candidatus, sine gravi causa, hora abfuerit statuta, huic, occasione neglecta, nec ad ulteriora pericula progredi, nec Gradum Doctoratus hac vice assequi, licebit.

N. B. *Hæc sunt Statuta de studiis, pro Gradu Doctoratus, omnium qui posthac ad Medicinæ studium se conferant. Eorum autem qui jam Medicinæ studiosi sunt, studia dirigenda sunt Statutis Solennibus jam editis.*

GUL^s. P. ALISON, Med. Theor. Prof.
Facult. Med. Decan.

E Tabulis Academiae, jubente Senatu Academica, describenda curavit,
ANDREAS DUNCAN, Mat. Med. Prof.
Acad. a Secretis, et Bibliothecarius.

Data Edinburgi, in Acad. Jac. Reg. }
Anno Salutis Humanæ MDCCCXXVIII. }

curis approbatione et auctoritate Candidatus Dis-
sertationem suam in Consilio Academiæ die XII^{to}
Julii, hujus Mensis, habendam indicavit. Typis
Senatus phœnicis, laboris et studii gratiam
summas in Medicinæ Honore, præcipue namque
DOCTORATU, meritis obsequi die XII^{to} Julii conse-

quatur.
Hæc auctoritas, quæ in Consilio Academiæ
die XII^{to} Julii, hujus Mensis, habendam
indicavit, Typis Senatus phœnicis, laboris
et studii gratiam summas in Medicinæ
Honore, præcipue namque DOCTORATU,
meritis obsequi die XII^{to} Julii conse-

M. B. Hæc auctoritas in Consilio Academiæ
die XII^{to} Julii, hujus Mensis, habendam
indicavit, Typis Senatus phœnicis, laboris
et studii gratiam summas in Medicinæ
Honore, præcipue namque DOCTORATU,
meritis obsequi die XII^{to} Julii conse-

EDINBURGI, NEILL ET SOCH EXCUDEBANT.